

Q U A E S T I O N E S

DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

S C H E M A D E C R E T I

DE PATRIMONIO HISTORICO ET ARTISTICO ECCLESIASTICO.

Hoc schema propositum a Commissione de Disciplina Cleri et Populi Christiani mihi placet. Sed, *secunda* meam humilem opinionem deest, in hac materia, aliqua specialis referentia ad Universitates Catholicas.

Evidens est quod, fere omnia quae proponuntur aut determinantur in schemate quoad archivia et quoad bibliothecas applicantur etiam, positis ponendis, ad archivia, bibliothecas et monumenta artis sacrae Universitatum Catholicarum, quae, sine dubio, numerari debent in patrimonio historico et artistico ecclesiastico. Sed, propter naturam et propter diversissimos fines academicos Universitatum Catholicarum atque propter magnum numerum hodiernum Universitatum Catholicarum simul ac propter specialissimas relationes quae nunc tenent cum omnibus fere organismis civilibus in unaquaque natione et cum institutionibus internationalibus moderni temporis, mihi valde opportunum videtur statuere saltem aliquam normam generalem pro apta et tuta conservatione ac pro organizatione et pro usu archiviorum, bibliothecarum, monumentorumque Universitatum Catholicarum.

Statuere etiam quod Universitatum Catholicarum est, modo specialissimo, idonea praeparatio peritorum in materia patrimonii historici et artistici ecclesiastici.

Ut aliquod exemplum tradar: in Pontificia Universitate Catholica Chilensi adest, nuper creatum, "Institutum Bibliographicum", vernacule " Instituto de Bibliografía ". Alla ex parte, una cum Universitatibus sive Catholicis sive Civilibus, oeconomico auxilio Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, creatum fuit " Centrum documentationis omnium scientiarum ". Ambo ad conservationem patrimonii historici.

Ac proinde, hoc modo et aliis pluribus, Universitates Catholicae possunt et debent contribuere ad conservationem et augmentum patrimonii historici et artistici ecclesiastici de quo hic opportune agitur.

aff
A l a p h r i d u s S i l v a S a n t i a g o
Archiepiscopus Ssmae. Conceptionis.

Domine Rafael